



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Prima Tonsura, parag. 1

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

non sit de fide, est tamen certissimum esse Sacramentum, ut apud Vasq. aliosque citatos videre poteris.

6. Quoad proximum, illud ex dictis colligi debet, Ordinem, cum jam dixerimus, esse Sacramentum, unde suam producit gratiam, debere dignè ministrari ab Episcopo ordinante, & dignè recipi ab ordinato, id est, sine conscientia peccati mortalis, ut supra libro primo de Sacramentis in universum explicatum est. Sed difficultas propria hic se offert: An id sentiendum sit de omni Ordine, etiam de prædicta extensione; ita ut per quameunque indignam collationem, vel receptionem illorum, committatur novum numero peccatum?

7. Respondeo. Ita est sentiendum in sententia, quam, ut probabiliorum secuti sumus, docentem, eos omnes esse Sacramenta; multò magis de illa extensione, quam diximus, certò esse Sacramentum. At quia non potuimus negare probabile esse, Subdiaconatum, & Minores Ordines non esse Sacramenta, ut modò vidimus, idèd probabile etiam erit, ea ministrare, a vel suscipere, non esse saltem mortale.

CAPUT II.

De Materia, Forma, & Officiis primæ Tonsuræ, & Minorum Ordinum.

§. I.

Prima Tonsura.

1. **E**st deputatio ad canendum in Choro, seu Ecclesia. Et ad ejusdem obsequium.

2. Confertur ab Episcopo per abscissionem capillorum, loco materiæ, & per hæc verba, loco formæ, ab eodem Episcopo, & simul ab ordinando pronunciata. *Dominus pars hereditatis meæ, & pars meæ Deus in æternum.*

Dixi (loco materiæ, loco formæ) cum enim prima Tonsura Ordo non sit, vera materiæ, formæque non indiget: nam propterea, his omisissis, validè quis deputaretur ad obsequium prædicta, si quocumque alio modo, ipso consentiente, ad ea addiceretur ab Episcopo.

3. Officium primæ Tonsuræ est, deputare Fidelem ad canendum in Ecclesia, ob quam rationem vocatur his Psalmista, & ei imponitur, ut semel recitet septem Psalmos Penitentiales cum Litanis, & Precibus consequentibus. Destinatur item per ipsam Fidelis ad obsequium, & famulatum Ecclesiæ, unde sit capax beneficiorum Ecclesiasticorum, & aptus ad Ordines sequentes.

4. Ut autem id hæc occasione dicam, adverte, prædictas Orationes imponi ab Episcopo tum Tonsurato, tum cuilibet ordinato in Minoribus, & quidem semel, etiam si receperit simul dictam Tonsuram, & quatuor omnes Ordines: imponi, inquam, non sub peccato, sed sub consilio, & sicuti idem sentiendum esse de Matutino, & Missis, quæ l. c. c. 3. idem Episcopus imponit Ordinato in Sacris dicam a mox.

c March. cum Navarr. & Reginaldo. d Inf. c. 2. §. 4.

§. II.

Ostiarium.

1. **E**st Ordo Ecclesiasticus, per quem datur potestas claudendi, aperiendi, & custodiendi Ecclesiam.

2. Ejus materia remota sunt claves Ecclesiæ, Proxima est porrectio, seu traditio clavium. Forma sunt illa Episcopi verba. *Sic age, quasi rationem Deo redditurus pro his rebus, quæ his clavibus includuntur.* Adduntur tanquam Ceremoniæ, aperire, & claudere fores ejusdem Ecclesiæ, & illi tradi campanulam, seu funiculum, quo ea ligatur, quibus ostenditur exercitium Ordinis, quem susceperunt.

3. Ostiarii munus est, aperire, claudere, custodire Ecclesiam, advocare, & admittere dignos, indignos excludendo, Campanas pulsare (explicat Gaspar f. Hurtadus, id intelligi, tempore sacrificii supellectilem Sacram custodire, denique aperire librum ei, qui est prædicaturus, quod tamen ultimum in usu certè non est.

c Leand. de Ord. d. 2. q. 10. ex March. l. c. tr. 2. p. 2. cap. 3. f. G. Hurte. de Ord. diff. 5. §. G. Hurte. ib.

§. III.

Lectoratus.

1. **E**st Ordo Ecclesiasticus, quo conceditur potestas Prophetias, & Scripturas legendi in Ecclesia.

Hh 2

2. Ejus